

complendis aut ulterius confirmandis veritatibus revelatis non
posse quicquam conferre. Merentur huc transcribi modesta
verba Auctoris. Relig. Medici P. I. 8. aliàs fortasse de nimio ra-
tionis usu in spiritualibus & Religione, quam vocant Erudito-
rum, non immerito suspecti, quicquid celandæ illi rei defudet.
*Obscuris, inquit, aliquando deviusq; vestigis mysterium aliquod
libens sequor ---- Nodos illos de Trinitate, Incarnatione & Re-
surrectione, animi relaxandi gratia mecum interdum solitarius
meditor, mentemq; in his comprehendendis exercere soleo. Quæ-
cumq; mihi aut Satanas aut ratio rebellis objiciat, ea omnia unò illo
paradoxo Tertulliani consilio expedio: Certum est, quia Impossibile
est.*

§. 6. Patet hinc caute procedendum esse, sicubi ex lu-
mine naturæ nos aliquid cognovisse, aut demonstrare posse as-
serimus. Neque enim dubium est, quin multa v. g. animæ
incurruptibilitatem, certo ex revelatione solum cognoscamus:
quandoquidem vero ea facilius à ratione comprehendi possunt,
quam reliqua revelata, uti articuli fidei strictè sic dicti, illa fa-
cilitatem & copiam in talibus rebus concludendi & arguendi
secum deprehendens, sibi soli postea earum rerum cognitio-
nem transcribit. Ut dubium non sit, ex hoc quoque fonte au-
daces Naturalistarum errores propullulare.

§. 7. Licebit rem simili illustrare. Ubi mensurandæ
alicui telæ accedimus, ulna v. g. simulque oculo opus est, qui
numerum ulnarum observet. Sic revelatio divinis veritatibus
dimetiendis unice apta, ulnæ, ratio vero ex revelatione descri-
ptas veritates recipiens, oculi vice erit. Atenimvero atten-
dimus experientia id testante, eos qui mensuras sæpius atten-
tiusque tractant, oculis suis facultatem aliquam licet imperfe-
ctam atque confusam contrahere, ut solo intuitu suo, quodam-
modo dijudicare rerum mensuras possint. Neque vero hanc
mensuram quisquam pro sufficienti legitimaque admittet, ne-
que talem juxta alteram mensurationem ope ulnæ peractam,
necessario adhibendam esse opinabitur. Ita nimirum Ratio
etiam, postquam diutius atque frequentius revelatas verita-
tes versavit, eas memoriæ suæ tam familiares reddit, ut sæpe
B 3 fibi